



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Edictvm De Concilio Provinciali II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15522**

bus viginti duo cardinales creauit. Fœdus inter regem Catholicum & Venetos ad optatum finem feliciter deduxit; vnde omnium celeberrima contra Turcas naualis victoria Nonis Octobris anno 1571. consecuta est: quem diem solennem & festiuum esse voluit. Plures legatos ad principes Christianos destinauit, quibus eos ad maius bellum Turcis inferendum inflammaret. Graui calculi morbo pressus solebat exclamare: Adauge Domine dolorem, sed da patientiam. Ex eodem morbo Kalendis Maii anno 1572. cum maximo omnium dolore e viuus excessit, cum pontificatum annis sex, mensibus quatuor minus sex diebus obtinuisset. Sepultus est apud sanctum Petrum. Sedes duodecim diebus vacauit. Maximo semper zelo, quoad vixit, Christianam rempublicam promouere conatus est; in victu frugalitatem, in audientis assiduitatem, erga pauperes amicitiam reseruauit, ab omni ambitione alienus. Ab omnibus principibus summa ipsi reuerentia exhibebatur, nullusque erat, qui ei & fatisfacere & placere non contenderet. Quod ad iustitiæ administrationem spectat, ad seueritatem propensior habitus est.

ANNO  
CHRISTI  
1569.

CONCILIVM MEDIOLANENSE II.  
P R O V I N C I A L E.

Quod Carolus Borromæus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis tituli sanctæ Praxedis, archiepiscopus Mediolanensis, habuit anno a Christo nato, MDLXIX. Pio V. pontifice.

EDICTVM DE CONCILIO PROVINCIALI II.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii  
& Spiritus sancti. Amen.*

*Carolus Borromæus sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Mediolani, vniuersis prouinciæ nostræ fidelibus salutem in Domino.*

**Q**vos cælestis Sapiencia pastores & esse & dici voluit, eorum tanta, tamque grauis, atque adeo sancta sollicitudo esse debet, vt in iis, quæ ad castissimum Dei cultum,

*Concil. Tom. 36.*

T

ad ecclesiæ auctoritatem ac dignitatem, & ad cleri, populi-  
que disciplinam non conseruandam solum, sed augen-  
dam etiam pertinent, non voluntas, non diligentia, non  
pietas denique illorum vlllo loco desideretur. Cum igitur  
ad morum emendationem & ad Christianæ pietatis restitu-  
tionem, amplificationemque Tridentini patres, duce Spi-  
ritu sancto, optimorū consiliorum auctore, veterem illam  
rationem aliis Conciliis decretam, renouandam statuerint,  
vt tertio quoque anno prouincialis Synodus celebretur;  
tertiusque is annus iam abierit, quo primum Mediolani  
synodum eiusmodi habuerimus; & propterea nos, qui  
Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopalem hanc cu-  
ram gerimus, pro ea quam populis fidei nostræ commif-  
sis debemus, sancta sollicitudine, voluimus iterum prouin-  
ciæ nostræ episcopos, literis vnicuique illorum scriptis, in  
metropolitanam nostram Mediolanensem ecclesiam ad  
Concilium euocare, huiusque inchoandi diem certum  
præscribere, nempe qui erit 24. Aprilis proxime sequentis.  
Vt autem ceteris omnibus, atque singulis, qui possunt, de-  
bentve iure, aut consuetudine, aut priuilegio eidem inter-  
esse, peruulgata sit ac nota huius nostri Concilii indictio;  
neve cuiquam vel rei ignorantia ad excusationem vti, vel se  
contemptum, neglectumve esse, dicere liceat, iis ipsis vni-  
uersis ac singulis, tum ceteris, qui sua interesse quauis ratio-  
ne putarint; tum illis etiam, qui liberi sint, atque exempti,  
quique nullius diœcesis intra prouinciæ nostræ fines con-  
tinentur, hoc edicto publice proposito, illud idem signifi-  
camus, indicimus, ac denuntiamus; iubemusque item illos  
ipso omnes & singulos, qui interesse debent, huc in Con-  
cilium conuenire ad constitutam eam diem, pœnis illis  
propositis, quæ canonicis sanctionibus decretæ sunt.

Monemus præterea, ac per viscera Iesu Christi Domi-  
ni hortamur omnes prouinciæ nostræ fideles, vt assiduis  
precibus, reliquisque Christianæ pietatis officiis a Deo  
misericordiarum, & patre totius consolationis, nobis  
negotium tam salutare tractantibus auxilium implorent;  
quo facilius nos, eius ope adiuti, in conspectu animi ha-  
bentes exemplum grauissimæ & sanctissimæ disciplinæ,  
quæcumque ad eam restituendam accommodata neces-  
sariaque sunt, ea sine vllis hæsitacionibus decernamus,

ANNO  
CHRISTI  
1569.

ANNO  
 CHRISTI  
 1569.

tum ad Dei ipsius gloriam, tum ad eorum qui in nostra fide, curaque conquiescunt, salutem. In quarum rerum omnium fidem hoc edictum confici, auctoritateque nostra imprimi & nostro signo muniri, tum cancellarii nostri manu signatum, in vulgus publice proponi voluimus. Datum Mediolani die 16. Martii anno 1569.

ORATIO CAROLI CARDINALIS

TITVLI S. PRAXEDIS, ARCHIEPISCOPI

MEDIOLANENSIS.

*Habita in prouinciali Concilio II.*

**E**TSI quod, duce Spiritu sancto, a Tridentinis patribus decretum est, vt tertio quoque anno prouinciales Synodi habeantur, hæc causâ, patres reuerendissimi, satis explorata est, & ea quidem iustissima quamobrem iam tribus post primum nostrum congressum annis huc iterum conueniremus: tamen si quis rem ipsam attente intuetur, facile animaduertet, hoc iterati Concilii officium non solum Tridentino iussui debitum, verum etiam & temporum conditioni, & pastoralis nostri muneri, & initiis quæ proximo superiori Concilio iecimus, consequens ac plane necessarium. Iam cognoscitis, iam scitis qua in perturbatione reipublicæ Christianæ status versetur; quam funestæ hæreseon faces in finitimis prouinciis iam diu excitatæ, quam turbulenti inde in Gallia motus, quam multæ strages, quot pugnatæ editæ sint. Quid? quot templa vel augustissima diruta, delubra religiosissimis imaginibus & signis & ornamentis spoliata, vasa sacra erepta, reliquiæ sanctorum dissipatæ, sacerdotes & religiosi viri interfecti, sacræ virgines iniuriosius tractatæ, diuina polluta, omnia denique prostrata iacent. Quousque tandem irasceris Domine? quousque tandem vineam quam plantauit dextera tua, & populum Christi Iesu Filii tui sanguine expiatum, videbimus ita crudeliter, ita fœde diripi, vastari, dissipari? quousque cibabis nos pane lacrymarum, potum dabis nobis in lacrymis, & in mensura? Hæc autem mala, quæ pestifera sunt, quæ perniciofa, etsi a nobis interiecto quodam spatio abesse videntur, ita tamen vndique nos circumstant, & in foribus ipsis prope adsunt, vt in